



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies nonus et decimus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1925**

VII. Passio SS. Tryphonis Et Respich

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72556)

A sancto et venerabili nomini tuo, quoniam adiutor et protector factus es mihi, et liberasti animam meam a laqueo satanae secundum multitudinem<sup>21</sup> miserationum tuarum. Nunc autem, te adiuvente, quod quaesivi inveni, quod desideravi adeptus sum. Tu autem, Domine, suscipe in pace spiritum meum; te enim adoro, te laudo, te glorifico, quia tu es Deus<sup>22</sup> benedictus in saecula saeculorum. Haec cum orasset, gladio percussus migravit ad Dominum. Tunc fratres in Niceam<sup>23</sup>

gladio percussus moritur.

convenientes, tulerunt corpus eius et aromatibus condientes, ipso sancto martyre revelante, ad propriam illum regionem duxerunt, et in Sam-sado vico posuerunt, digne<sup>24</sup> illum per omnia venerantes et laudem Domino referentes. Passus est autem beatus Tripho<sup>25</sup> tertio nonas februarias<sup>26</sup> regnante domino nostro Iesu Christo, qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia saecula saeculorum, amen.

S. TRYPHONIS VITA ET PASSIO

<sup>21</sup> multitudine V 2, T. — <sup>22</sup> om. V 2, T. — <sup>23</sup> Nicea V 2, T. — <sup>24</sup> dignum V 2, T. — <sup>25</sup> tertia

V 2. — <sup>26</sup> quarto idibus novembris T.

## VII. PASSIO SS. TRYPHONIS ET RESPICII

B *E codicibus bibliothecae Vaticanae lat. 5696 (= R 1), capituli Sanctae Mariae Maioris B (= R 2). Cf. Comm. praev. num. 26.* E

### Passio sanctorum Triphonis et Respicii martyrum.

SS. Respi-cius et Tryphon

1. Cum venerabilis puer Respiti<sup>1</sup>us in divinis exerceret ludis<sup>2</sup>, castificabatur a matre sua nomine Eucharia (1), nutriebatur a quodam sancto et catholicissimo sacerdote, qui eum secundum apostolicam doctrinam<sup>3</sup> apprime instituit, sine intermissione divina magna psallere fecit, sicque puerilem devotionem in Christi caritate firmavit. Cumque factus esset annorum duodecim, die quadam cum beato Tripho aequo<sup>4</sup> in Christi fide perfecto aliisque ex coaevalis suis ludum exercente, unus ex ipsis tactus est morsu serpentis, ita ut periclitaretur usque ad mortem. Currens vero unus de pusiolis nunciavit parentibus eius qui percussus fuerat. Cumque ululatum non minimum parentes pueri ob infortunium cum lacrimis dedissent, horis quasi tribus transactis, coepit percussus vociferare dicens: « Deprecor vos, o sancti Dei Triphon atque Respiti, accedite propius et tangite corpus meum ut non moriar. Vobis enim donavit Dominus gratiam curationum. » Haec dicente puero, conversus populus qui aderat rapuerunt sanctos Triphonem atque Respiti<sup>5</sup>um a serentes quia « vox quae facta est Dei ostensio est ut dinosceremini qui hactenus latuistis. » Cumque ducerentur ad locum ubi aeger ille semivivus iacebat, beatus Triphon voce magna dixit: « O lux mea Deus, adesto nunc famulis<sup>6</sup> tuis per gratiam, qui ubique praesens es per divinitatis tuae potentiam, extende nunc manum tuam super eum qui percussus est, et sana eum a necessitate qua tentus est. » Et confestim sanatus est et omnes glorificaverunt Deum. Venerabantur quoque<sup>7</sup> sancti Dei pueri Triphon et

puerum a morsu serpentis

C

Respiti<sup>8</sup>us super hoc miraculo ab omnibus in nomine domini nostri Iesu Christi.

2. Paucis exinde transactis diebus, dum essent sancti pueri in itinere positi, Asincritus<sup>1</sup> quidam graecus negociator substitit in loco, <et<sup>2</sup>> respiciens infantes, stupore percussus exanimis defecit. Vox autem caelitus emissa est dicens: « Convertimini, Triphon atque Respiti, date manum deficienti; proficietis cum eo et adhibete ei curationem, quia vobiscum<sup>3</sup> sum omnibus diebus vitae vestrae. » Qua voce comperta, ilico sancti Dei conversi viderunt eum in terra iacentem et dixerunt: « Homo Dei, surge et lauda redemptorem tuum, qui in caelis est. » Et vidit sanctos gratissimos vultus habentes et imposuerunt eum vehiculo suo quo utebatur, ne forte lassesceret<sup>4</sup> exinde. Euntibus autem eis, negociator, qui pueros solos putabat, tertium cernens expavit ad visionem infantis. Dixit autem beatus Triphon: « Quare timuit anima tua? » Qui dixit: « Vivit Dominus, quia vidi vultus vestros fulgentes. » Dixerunt sancti: « Quomodo visi sunt tibi vultus nostri? » Negociator dixit: « Vidi quosdam albatos iuvenes, unum a dextris et unum a sinistris, et vultus eorum splendidissimos<sup>5</sup> nimis. » Dixerunt sancti: « Ostensa sunt tibi futura; veniet enim ultio super daemones. » Quo exhibitio miraculo, sancti perrexerunt ad orationem. Cumque Dominum obnixi precarentur, ecce quattuor immundi spiritus vehementer coacti per aera vociferant dicens: « O sancti Dei, transite locum istum; vinciti enim sumus per orationes vestras catenis igneis. » Completa igitur oratione, fregit sanctus Triphon panem et dixit negociatori: « Redde Domino vota tua. » Et accipiens manducavit et dixit:

Asincritum a debilitate,

F

Psalm. 49. 14.

1. — <sup>1</sup> ita R 1, 2, laudibus expectaveris. — <sup>2</sup> scripsi, divinam R 1, 2. — <sup>3</sup> aque R 2. — <sup>4</sup> servis R 2. — <sup>5</sup> autem R 2. — <sup>6</sup> — <sup>7</sup> ita V, 1, 2, 3, T, supra, p. 357, Asia R 1, 2.

— <sup>8</sup> supplevi, om. R 1, 2. — <sup>9</sup> corr., prius nobiscum R 1. — <sup>10</sup> la///cescere R 2. — <sup>11</sup> splendidissimi R 2.

(1) Eucharia mater S. Tryphonis in eius Vitae c. 1 dicitur, supra, p. 336.

« Vivit

PASSIO  
SS. TRY-  
PHONE ET  
RESPICII

« Vivit Dominus qui me enutrivit ab infantia mea qui tanta mirabilia operatur per sanctos suos quia amodo serviam illi omni devotione spiritus mei. » His dictis iter coeperunt. Daemones autem in<sup>6</sup> praesentia sanctorum eiulatu teterrimo clamabant per aera<sup>7</sup>: « Cremamur, sancti Dei, fugati sumus orationibus vestris e sedibus propriis. »

stabula-  
rium  
a febre  
sanant;  
Luc.  
4, 38.

3. Pergentibus quippe illis, prima mansione applicuerunt Pandocium vicum, ubi quidam stabularius tenebatur magnis febribus. Ad quem ingressi dixerunt: « Surge quantocius de stratu tuo, et glorifica Deum. » Statim ad hunc sermonem sanctorum plenius est sanitati restitutus. Vespere autem facto, complentes orationem relicebant < corpora<sup>1</sup> >, et inter convivandum facta est vox divina ad eos per nubila dicens: « Pueri mei Triphon atque Respiti, proficiscimini Caesaream. Est enim quidam ibi porcus ingens, silvaticus, pessimo daemonio plenus, a cuius nefanda rabie oportet vos venatorem liberare; quem cum salvum efficietis, faciam ut vos sequatur et doctrinae vestrae tenacius inhaereat. » Facta autem hac voce, omnes cives pandociiani pavefacti orationi incubuerunt. Surgentibus vero ab oratione, videbantur sancti ab omnibus, cum litteras nossent minime, in manibus librum tenere, in quo Christo colloquentes conroborati sunt. Facta itaque ambulantiis illis hora circiter sexta fixerunt genua<sup>2</sup> ad orationem. Quibus orantibus, subito aper de silva exiliens, canibus minabatur mortem. Quem cum vidisset venator appropinquantem sibi, exclamans ait: « O gloriosi Dei servi, opem ferte mihi ut non peream. » Qui dixerunt: « Domine Deus omnipotens, rerum dispensator omnium, qui reple eos qui sperant in te Spiritu Sancto, qui puram et sinceram bonitatis tuae salutem das his qui confitentur nomen tuum duxque es omnibus qui mandata tua custodiunt, extende manum tuam et amove timorem ab hoc servo tuo; effuga dolores; conserva eum sicut tu seis et vis, qui salvos facis sperantes in te. » His dictis aiunt venatori: « Confide, et ora Deum qui a periculis liberat. » At ille expectabat rei eventum, quid pueri essent acturi; qui hilarem praeferentes vultum de praesentia Spiritus Sancti extenderunt manum, crucemque pingentes ingenti bestiae dixerunt: « Perge velociter unde venisti. » Quo dicto bestia oboedivit, et cum omni mansuetudine abscessit.

aprum  
abigunt.

B

4. Modico autem<sup>4</sup> facto intervallo, ambulantiis sanctis in via, ecce homo quidam occurrit habens spiritum immundum, qui saepius in flumina deiectus, sed usque in praesentiam sanctorum puerorum divinitus est gubernatus; et hic vociferans dicebat: « Sancte Dei Respiti, uris me. » Ad haec verba beatus Respitius intuens in caelum dixit: « Lux inextinguibilis Christe, splendor iustitiae, caeli ac terrae Domine, expelle inimicum hunc ex<sup>5</sup> figmento tuo, qui ad imaginem tuam de limo terrae factus est a te homo. » Et statim spiritus nequam exiit ab eo et voce magna

Psalm.  
16, 7.

C

Spiritum  
immundum  
ex  
homine  
quodam

Gen. 2, 7.

per deserta volitans aiebat: « Uris me, serve Dei D Respiti; non habeo locum habitationis. » Salvatus autem homo dicebat: « Gloria tibi, Christe. » Et proficiscebatur gaudens et glorificans Deum.

5. Homo quidam nobilissimus Caesareae civitatis, Antoninus nomine, habens spiritum malum, vinculis astrictus < erat<sup>1</sup> > super quo sanctus Triphon nuncio superno commonitus est quem admodum eum sanaret et sequi suum praeceptum faceret. Is quoque, disruptis catenarum compediibus, venit ad beatum Triphonem et cruciatus mirabatur ab omnibus. Sanctus autem Domini extendens manum tenuit hominem et dixit: « Tibi dico, immunde spiritus, in nomine domini nostri Iesu Christi, contremisce et exi ab eo. » Statim absque mora<sup>2</sup> effugit<sup>3</sup> per deserta loca, haereditatem perennis flammae tenens; sicque homo sanae mentis effectus secutus est eum.

6. Lucius quippe praeses, cum esset paganus, audiens haec fieri a sancto Triphone, iussit tribus militibus quatenus eum sibi quantocius praesentarent<sup>4</sup>. Vir autem Domini Respitius, praescius futurorum dixit beato Triphoni<sup>5</sup>: « Frater, scio voluntatem praesidis; eamus in obviam militibus eius, quia quaerunt nos. » Et exierunt illis obviam et dixerunt: « Quem quaeritis? » At illi dixerunt: « Praeses misit ad vos, quia desiderat videre facies vestras. » Viri autem Domini dixerunt: « Et nos cognovimus per spiritum Dei nostri; tamen euntes renuntiate ei quia pro foribus stant servi Dei. » Egressus autem praeses dixit: « Bene venistis, servi Dei. » Sancti autem hoc modo responderunt: « Deus illuminet sensus animae tuae, ut cognoscas mirabilia deitatis suae. » Dixitque praeses: « Dicite, homines Dei, infantium habi u induiti, sed seniorum prudentia decorati, unde hoc munus vobis acciderit. » Ad haec beatus Triphon respondit: « Possidet nos Christus per gratiam Spiritus Sancti ut faciamus hominibus, qui adhuc longe ab illo sunt, manifestam divinitatis suae virtutem; cui te oportet credere, praeses, ut relicta superstitione idolorum gaudia sempiterna valeas adipisci. » Praeses dixit: « Credo in Deum omnipotentem, qui per servos suos tanta mirabilia operatur, daemones de obsessis corporibus fugans, tenebras mentium illuminans. » Et his dictis baptizatus est ipse<sup>6</sup> et tota familia eius, credentes in Deum salvatorem.

7. Erat autem beatus Triphon in Caesarea commorans, et sanctum Christi evangelium praedicans; omnes qui habebant infirmos dacebant illos ad eum et curabantur. Sed et beatus Respitius interim secundum apostolum sine intermissione orabat, et fovebatur a Spiritu Sancto. Habebat autem quidam homo filiam quasi annorum novem, quae tenebatur annis sex a spiritu nequam a quo vehementer vexabatur. Hic audiens sanctos pueros in Caesarea esse, venit ad eos, et genibus provolutus, coepit rogare eos dicens: « Deprecor vos, electi Dei, miseremini

et ex Anto-  
nino Caesariensi  
expellunt.

Lucium  
praesidem  
ad  
Christum  
convertunt;

Ioh. 18,  
4, 7.

F

daemonium

1 Thess.  
5, 17.

<sup>6</sup> om. R 1. — <sup>7</sup> aerem R 2.

<sup>3</sup>. — <sup>1</sup> suppl., om. R 1, 2. — <sup>2</sup> genu R 1.

<sup>4</sup>. — <sup>1</sup> vero R 2. — <sup>2</sup> in R 1, 2.

<sup>5</sup>. — <sup>1</sup> supplevi, om. R 1. — <sup>2</sup> om. R 1. — <sup>3</sup> ef-

fugiens R 1.

<sup>6</sup>. — <sup>1</sup> presentaret R 1. — <sup>2</sup> corr., prius Tri-  
phone R 1. — <sup>3</sup> om. R 2.

mei

A mei et orate Deum vestrum pro me; venite et tangite filiam meam et solvite eam a colligatione sathanae; sunt enim anni sex ex quo miserabiliter vexari ab eo coepit. Audientes haec sancti secuti sunt eum.

*e puella expellunt;* 8. In itinere autem illo erat spelunca, in qua molesti erant transeuntibus, et infesti ita ut plerique viatorum evitarent locum illum propter infestationem daemonum. Transeuntibus autem sanctis Dei et appropinquantibus, daemones eiulabant dicentes: «Christi amici, vexatis nos vehementer.» Venientes sancti ad locum dixerunt daemionibus: «Immundissimi spiritus, hanc speluncam quantocius deserentes, ite per loca invia et inaquosa, ubi pes hominis nulatenus commoratur, affligentes vos ipsos, usque ad diem Domini quando habebitis consumi igne inextinguibili.» Exeuntes autem continuo daemones ibant per deserta loca clamantes et dicentes: «Multos enim transeuntes latuimus, hos autem latere nequivimus, quia virtus Dei in illis est.» Appropinquantibus autem illis domui ob quam venerant, conturbavit spiritus puellam in tantum, ut omnes qui aderant dicerent: «Quia mortua est.» Lacrimans autem turba omnis illa cum patre puellae, dixit sanctus Respitius: «Tu qui es pater puellae, si crederis in Deum et in Iesum Christum filium eius et in Spiritum Sanctum, liberabitur filia tua.»

B Pater autem puellae voce miserabili flens et eiulans respondit: «Miseremini mei; credo enim quia Deus vester potest filiam meam salvare.» Ingressus vero sanctus Triphon ingemiscens dixit: «Creator luminis Deus, qui donas in te sperantibus thesauros inviolabiles, qui custodis invocantes te, qui es totius mundi creator et omnis substantiae moderator, qui perversum malorum omnium magistrum destruxisti, qui solus dolores et sanitates confers, qui conturbas profundum maris, imperans abyssis, qui dirupisti magnum draconem et liberasti hominem, respice nunc de caelis et extende salutiferam dexteram ad sanitatem huius puellae, ut expulso maligno, cognoscant te omnes unum et verum Deum esse, qui regnas in caelis.» Haec cum dixisset, tenuit puellam et dixit: «In nomine domini nostri Iesu Christi, qui mortuos suscitavit et eos qui in tenebris sunt illuminat, surge.» Surrexit continuo puella, et omnes qui aderant glorificabant Deum mirabilia facientem.

*hydropicum curant;* Luc. 8, 43. 9. Post haec allatus est eis quidam iacens in lectulo, qui omnem substantiam suam in medicos erogaverat, nec quicquam profecerat; ydropis namque morbo tenebatur et deprecabantur sanctos Dei plurimi pro illo ut eum iuvarent. Elevatis illi oculis ad caelum dixerunt: «Deus verax et magne, qui per filii tui Christi domini nostri mandata agnosceris, huius hominis invaliditatem mitiga, dona ei effectum petitionis suae ad glorificandam virtutem magnitudinis tuae.» Et conversus Respitius tenuit eum dicens: «In virtu-

te Dei surge sanus.» Statimque surrexit sanus et robustus effectus, sicque glorificabatur ab omnibus Deus. Cumque iterum oraret beatus Respitius, venit mulier de heremo coepta a diabolo, occupata ut putabatur legione daemonum. Videns autem eam sanctus Respitius, stupefactus vocavit eam et dixit: «Quaenam es vel unde venisti?» Quae respondit: «Ego sum,» inquit, «omnium immundorum massa spirituum.» Sanctus vero Triphon siscitans ait: «Quis te iussit hanc domum ingredi?» At daemon dixit: «Ubi praesentiam vestram sensero, non valeo celare infirmitatem meam; adsum enim cum illa, quam mihi receptaculum feceram.» Tunc venerabiles pueri ingemuerunt, ad orientem manus extendentes, rursusque super caput eius daemones exorcizantes. Sed illi de ore miserae puellae talia verba dederunt: «A duodecim annorum infantibus fugamur; et qui per tot annos in hoc vasculo latuimus, nunc per unam orationem eicimur.» Tunc sancti Dei responderunt: «Exite, immundi spiritus et nolite verba multiplicare.» At illi increpati atque turbati discerpentes exierunt ab ea, cum clamore vehementi dicentes: «Dixi vobis, sancti Dei, quia legio sum, et vultis me expellere.» Sanctus Triphon respondit: «Deo meo volente, ex hoc templo Dei fugiturus es.» Daemon respondit: «Si eieceritis me, adversus vos exhibeo.» Honorabiles pueri dixerunt: «Tantum egredere citius; de hoc enim cura est Deo nostro.» Tunc compulsus daemon exclamavit voce magna dicens: «Romam oportet me ire, ob iniuriam vestri, quia ibi inveniam mihi locum condignum.» Et sic eiecto daemone sancti Dei pueri dederunt gloriam Deo pro salute mulieris.

10. Daemon autem Romam veniens invasit Predietem cuiusdam senatoris uxorem, et vehementius affligebat. Post dies autem tres, coepit daemon clamore ingenti profiteri beatissimos pueros. Quaerentes ergo illos plures Romanorum per multos dies, tandem vix invenerunt eos oves pascentes sicut beatum prophetam David quem de pastore eligens Deus sublimavit in regnum. Qui cum Romam perducerentur, de obsessa femina clamavit daemon: «Venerunt sancti Dei. Quid sum facturus?» Cumque sancti Dei ingrederentur domum, conterritus malignus urgebat dicens: «Persequimini me huc.» Et dixerunt sancti: «Exi citius et ne moreris diutius.» Respondit daemon: «Nolite mihi indignari; scio enim quia ideo huc venistis ut me eiciatis.» Et his dictis, spumans et elidens mulierem exiit ab ea. Vocavitque sanctus Triphon virum suum et dixit ei: «Ecce uxor tua Deo meo volente restituta est sanitati.» Qui prostratus pedibus eius deprecabatur dicens: «Pro me quoque orate, beatissimi sancti, ut qui misertus est sororis meae per vos, misereatur et mei.» Sancti autem dixerunt: «Fiat tibi a Deo, sicut confidis in eo.» Cumque proficiscerentur venerabiles

PASSIO  
SS. TRY-  
PHONIS ET  
RESPIII

uzorem  
senatoris  
obsessam,

1 Reg.  
16, 1.

8. —<sup>1</sup> om. R 1. —<sup>2</sup> fratres R 1. —<sup>3</sup> disserentes R 1. —<sup>4</sup> om. R 1. —<sup>5</sup> (et - moderator) om. R 1. —<sup>6</sup> deum et verum R 2.

9. —<sup>1</sup> in R 2. —<sup>2</sup> supra lin. corr. R 2. —<sup>3</sup> deus ab omnibus R 2. —<sup>4</sup> om. R 2. —<sup>5</sup> tem-

plo hoc R 2. —<sup>6</sup> gloriam dederunt R 2.

10. —<sup>1</sup> predietem sic R 1, 2; Proclia V 3; Proclie V 1, 2, T, supra, p. 359. —<sup>2</sup> beatissimo R 2. —<sup>3</sup> ac add. R 1. —<sup>4</sup> beatus propheta R 2. —<sup>5</sup> om. R 1. —<sup>6</sup> daemon respondit R 2.

pueri

PASSIO  
SS. TRY-  
PHONIS ET  
RESPICII

et Gordiani  
filiam  
liberant.

B

Coram  
Aquilino  
praefecto  
sistuntur;  
Act. 4, 29.

C

pueri a Roma ad instar Abbae prophetae, qui impetu spiritus sui de Iudaea, angelo portante, perductus est in Babilonem<sup>7</sup>, ita et illi, ducente angelo, positi sunt in vico Samsaco<sup>8</sup> (1) in quo usque hodie curationes<sup>9</sup> per eorum orationes effectum a Domino capit. Venerabiles autem pueri Triphon atque Respitius sic deinceps aetate proficiebant, quia profectum animae et redemptionis salutem in<sup>10</sup> Christo Domino postulabant.

11. Anno ducesimo nonagesimo regnavit Gordianus. Hic habuit filiam sui nominis a daemone obsessam, qui videlicet uri se a Triphone clamabat. Pro quo imperator per omnem misit provinciam, tandemque repertum<sup>1</sup> Romam fecit adduci; et postquam per eum puella salvata est, cum honorificentia ad suam patriam fecit illum reduci. Mortuo autem Gordiano et successore eius Philippo, cum regnaret Decius, relatum est Aquilino praefecto Orientis quod scientiae divinae cultura potissimum haberetur erga sanctos Domini Triphonem atque Respitium; non enim amplius latere poterant qui ante<sup>2</sup> aliquot annos per donum et gratiam Dei proditi erant variis meritorum virtutibus. Missis igitur ex officio apparitoribus, rapti sunt a Frontone, pacis principe a primis<sup>3</sup> civitatis, qui exierat<sup>4</sup> ad exquisitionem sanctorum cum persecutoribus; hoc<sup>5</sup> erat indictum a praefectis. Quos inventos tradiderunt militibus, qui ligaverunt eos et traxerunt in civitatem Meetem<sup>6</sup> (2), ibique in carcerem<sup>7</sup> missi sunt ab Aquilino praefecto, qui<sup>8</sup> publicis negociis fuerat occupatus. De eis autem<sup>9</sup> magna fama volitabat, quod essent Deo christianorum digni et in omni virtutum promotione perfecti.

12. Post paucos vero dies, iussit eos introduci. Ingressi autem succensi sunt vehementer igne Spiritus Sancti et cum omni fiducia loquebantur verbum Dei, sicque optimum dominicae confessionis certamen imperterriti aggressi sunt. Pompeianus vero primiserinius magno officio dixit: « Adsunt<sup>1</sup>, o praefecte, sancti de Apamiae<sup>2</sup> finibus, de Samsaco vico, appliciti circa eminentissimum et illustre tuae potestatis tribunal interrogandi. » Tiberius<sup>3</sup> Graccus Claudius Aquilinus illustris dixit: « Quod nomen est vobis? » Sancti responderunt: « Alter nostrum<sup>4</sup> Triphon, alter vero Respitius vocatur. » — « Cuius, » inquit, « fortunae estis? » Sanctus Triphon dixit: « Fortuna siquidem nulla est apud christianos, sed omnia ex divina dispensatione aguntur, arte vero a quibusdam hominibus nominata est. Sed et si vis scire genus, ingenius quidem sumus natalibus. » Pompeianus primiserinius vociferans dixit: « Isti pueri fatentur se christianos esse. » Aquilinus dixit: « Scio utique, et tales iussit imperator incendi vivos<sup>5</sup> nisi sacrificaverint diis. » Beatus Respitius dixit: « Utinam digni inveniamur pro Christo domino nostro ignibus vivi<sup>6</sup> coneremari. Tu autem quod tibi praecep-

tum est implere satage. » Aquilinus dixit: « Sacrificate diis, quia video vos legitimam aetatem habentes perfectumque intellectum possidere. » Sanctus Triphon respondit: « Perfectum intellectum habemus in domino Iesu Christo; ideo cupimus perfectum pro eo intellectum ad plenam perducere agonem. »

13. His auditis, Aquilinus praefectus iussit eos torqueri si minime consentirent. At illi prompte deposuerunt vestimenta sua, simulque proicientes pallia sua ultro dederunt se quaestionariis ad torquendum. Prius autem manibus alligatis, ait Aquilinus praefectus quaestionariis: « Accedite et tangite illos, quia ignorantia praevallet in eis. » Et cum fortiter torquerentur, nullam vocem emiserunt, sed patienter sustinuerunt, quia timorem Dei in animo retinebant. Et cum<sup>1</sup> fere per trium horarum intervallum adletae Christi torquerentur, Aquilinus praefectus dixit eis: « Paenitemini, pueri, huius dementiae vestrae; nullus enim contra imperatorum decretum veniens vivere potuit. » Sanctus Triphon respondit: « Certus ego sum quia nullus iussioni caelesti contradicere poterit. Nam si quis vecors temere voluerit agere, aeternis poenis incipit subiaccere. » Aquilinus dixit: « Caelestis rex Iovis est qui regnat in caelo omnium deorum princeps, nec potest vivere qui eius vult iussioni contraire. Consentite ergo et sacrificate diis. » Sanctus Respitius dixit: « Beneplacitum est hoc patri tuo diabolo, ut trahas homines ad ydolorum culturam; unde et vos iudices saeculi huius pervertit ut agatis quae illi<sup>2</sup> placita sunt ut transferat ad perditionem<sup>3</sup> animas hominum quos perditis. » Aquilinus ait: « In perditionem non vos ponam, sed ad vitam, si sacrificaveritis diis. Si autem nolueritis, faciam vos igne consumi. » Sanctus Triphon respondit: « Ignem nobis minaris qui post modicum extinguitur. Ignoratis autem tormenta futuri saeculi servata vobis, qui transgredimini mandata Dei mei? » Haec audiens praefectus Aquilinus iussit ut egredientes in venationem alligatos sanctos traherent per nemora glaciali tempore<sup>4</sup>, pruina descendente, rivis fluentibus, eo quod cursu vehementi conculcarentur ab equis, disruptis eorum plantis. Illi autem erant vociferantes et dicentes: « Domine, ne apponas illis iniquitatem istam. » De venatione autem regressi in palatium, iussit praefectus sanctos praesentari et ait ad eos: « Pestisne de reliquo castificare? » Sanctus Triphon respondit: « Semper nos castificamur coram Deo, cui incessanter servimus. » Tiberius<sup>5</sup> Graccus Claudius Aquilinus dixit: « Recipiantur in carcerem, ut, dilatione concessa, moneant interim seipsos quatenus<sup>6</sup> abiecta dementia prompte sequantur iussa imperatoris. Nam testor deos nostros, quia nisi immolaveritis, ingentibus poenis et cruciatibus<sup>7</sup> nimis consumemini. »

14. Praefecto autem proficiscente ad alias ci-

fidem  
confitem-  
tur;

E

varia  
tormenta  
fortiter  
tolerant.

Nicaeae

<sup>7</sup> Babylone R 1. — <sup>8</sup> Samsoco R 2. — <sup>9</sup> curationis R 2. — <sup>10</sup> a R 2.

11. — <sup>1</sup> reptum R 2. — <sup>2</sup> (q. a.) bis scribit R 2. — <sup>3</sup> prime R 1, 2. — <sup>4</sup> exierat R 1. — <sup>5</sup> autem add. R 2. — <sup>6</sup> Meetem R 2. — <sup>7</sup> carcerem R 1. — <sup>8</sup> quia R 1, 2. — <sup>9</sup> (de - autem) per eos R 1.

(1) In Vita latina, c. 2, Samsado, supra, p. 357, in Passione graeca, c. 2, Συμφάδων κόμη, supra,

12. — <sup>1</sup> assunt R 2. — <sup>2</sup> apponere R 2. — <sup>3</sup> Tyberius R 2. — <sup>4</sup> noster R 2. — <sup>5</sup> vivos incendi R 1, 2. — <sup>6</sup> om. R 2.

13. — <sup>1</sup> om. R 2. — <sup>2</sup> om. R 2. — <sup>3</sup> perditionem R 1, 2. — <sup>4</sup> tempora R 1. — <sup>5</sup> Tyberius R 2. — <sup>6</sup> quatenus R 2. — <sup>7</sup> penis iterum add. R 2.

p. 330. — (2) Nicaea civitas dicitur in Vita et Passione S. Tryphonis, c. 13, supra, p. 360.

*rursum  
interro-  
gantur*

vitates, post aliquot dies reversus in Nicaeam civitatem suam iussit sibi sanctos Dei praesentari et dixit eis: « Deliberastis apud vos, per tanti temporis spatia, quemadmodum<sup>1</sup> horrida tormenta evadatis? Audite me filii, et sacrificate diis. » Sanctus Triphon respondit: « Castificat nos iudex omnium Deus, totius creaturae formator. » Rursumque aiunt: « Nihil a nobis primum quaeras, nihil extremum requiras, nisi quae a nobis in primis audisti, quia fidem nostram quam habemus in Deum neque tu neque imperatores tui, sed nec pater tuus Sathanas aliquibus argumentis aut persecutionibus subvertere poterit. Namque dominus noster Iesus Christus in evangelio sic ait: Qui negaverit me coram hominibus, negabo eum coram patre meo qui in caelis est<sup>2</sup>. » Aquilinus dixit: « Vobis ipsis<sup>3</sup> miseremini et magnis diis immolate, quia video in vos disciplinam et sapientiam. » Respitius dixit: « Nobis ipsi<sup>4</sup> miseremur divina favente gratia, quia imperterriti confitemur Deum ac dominum nostrum, iudicem venturum<sup>5</sup>, qui singulorum acta discutere veniat. » Tiberius<sup>6</sup> Gracculus Claudius Aquilinus dixit: « Deferantur clavi et configantur pedes eorum. » Quod cum factum fuisset per medium civitatis in asperitate yemis ac vehementia tempestatibus urgebantur; non enim diabolus cum omnibus canibus suis nocere eos potuit, sed magis ac magis confortabantur, quia fundati erant supra petram quae Christus est, qui militibus suis post momentaneos agones ac temporales passiones summum illud conferre solet bonum et bravium<sup>7</sup> sempiternum, quod oculus non vidit, nec auris audivit<sup>8</sup> nec in cor hominis ascendit. » Tiberius Gracculus Claudius Aquilinus dixit: « Quid enim est, non sentitis tormenta? » Sancti responderunt: « Non sentimus tormenta quia clavi<sup>9</sup> non sunt infixi in pedibus nostris sed quasi in calciamentis. » Ammirans autem praefectus tantam perseverantiam coepit cogitare qualiter eos fortius punire posset ne forte contempnerent tormenta. Iussit igitur eos manibus post tergum<sup>10</sup> ligari et virgis nudos caedi. Qui cum acerrime caederentur, quaestionarii deficiebant nihil proficientes quia constantissimam illorum mentem illicere in nullo poterant a veritate quae Christus est.

*et novos  
subeunt*

15. Praefectus autem ira repletus iussit unguulas et lampades lateribus eorum applicari. Quaestionarii autem accedentes praecepta complebant. Igitur applicantibus eis lampades astitit eis<sup>1</sup> angelus Domini claritate indutus, coronas habens in manibus variis ac pretiosis ornatas gemmis ex niveis floribus sertas, illis ostendens immarcescibili decore compositas quas capitibus eorum imposuit atque fortes in agone perfecit. Quod cum viderent ministri impietatis, cadentes in terra<sup>2</sup> exanimis redditi et facti sunt velut mortui. Extendentes autem sancti martyres oculos in caelum dixerunt: « Domine Iesu Christe, ne praevaleat diabolus adversus sanctos tuos, neque extorres faciat donorum tuorum; saevit

enim et ingemiscit<sup>3</sup> per fidem sanctam caelorum adipisci regnum, de quo ille cadens proiectus est in infernum. Et nunc, Domine, exaudi nos et perface cursum nostrum, ut tua sit pugna et tua sit victoria. » Tunc praefectus Aquilinus dixit tortoribus: « Nisi consenserint imperatori, torquete illos quousque possint<sup>4</sup> sustinere. » Cumque torquerentur dixerunt: « Nos persuades, stolidissime<sup>5</sup> hominum, sacrificare ydolis immundissimis. » Neque enim sentiebant dolores, quia quae illis inferebantur forti animo respuebant. Dixit ad eos praefectus: « Discedite a tali dementia et consulite aetati vestrae. » Sanctus Respitius dixit: « Iam, maligne, audisti a nobis quia nos subvertere non poteris talibus verbis; nam hoc scire poteris quod numquam sacrificabimus lapidibus et lignis, quia Deum verum colimus et ipsi soli servimus. » Igitur quia tantum ac talem dominum habemus, nulli hominum consentimus nec acquiescimus. Scias procul dubio, vir diabolice, quia nullam poenam excogitare poteris quae separare nos possit a caritate Dei. »

16. Haec audiens praefectus iussit tribunal in foro sterni, ut ibi sanctos Dei martyres palam puniret. Postera igitur die pro tribunali sedens, dixit martyribus sanctis: « Oboeditis praeceptis imperatoris? » Sanctus Triphon respondit: « Saepem iam dixi tibi quia Deum vivum, qui in caelis est colimus et timemus. » Aquilinus dixit: « Plumbatis eos tundite<sup>1</sup> intolerabilibus<sup>2</sup>. » Cumque prolixius plumbatis caederentur, non praevaluit in eis varietas tormentorum. Aquilinus dixit: « Adorate ymaginem Decii<sup>3</sup> caesaris et iurate per eos qui in Capitolio deae<sup>4</sup> Romae sunt vos numquam esse christianos. » Sancti dixerunt: « Terra enim ex quo formata est et eius incolae facti sunt, numquam impossibilius quid auditum est ut quam<sup>5</sup> post tormenta tanta taliaque Christum dominum negare debeamus. »

17. Tunc praefectus, ira maxima commotus, iussit gladium adduci et consilio accepto sententiam protulit dicens: « Pueros hos<sup>1</sup>, genere Frigios<sup>2</sup>, christianos, imperatorum iussis oboedire nolentes, gladio iubemus decollari. » Qua propalata<sup>3</sup> sententia, milites ad hoc deputati duxerunt sanctos martyres ad locum decollationis. Elevantes autem manus suas ad caelum invictissimi testes Christi Triphon atque Respitius dicebant: « Domine Iesu Christe, suscipe animas nostras et colloca<sup>4</sup> eas in sinu patriarcharum. » Et haec dicentes victimae Christi, flexis in terra poplitibus praebuerunt utronei cervices gladiatori, sicque mucrone iugulati<sup>5</sup> beatissimas animas reddiderunt creatori. Visi sunt autem<sup>6</sup> oculis insipientium<sup>7</sup> mori, illi autem sunt in pace et sequuntur agnum quocumque ierit. Convenerunt autem religiosi viri et sacerdotes Domini et dedicaverunt martyrium illorum cum omni honore, atque disciplina reverentiae participaverunt ibi mysterium nostrae redemptionis, commendantes animas suas sanctis beatorum martyrum patrocinis.

PASSIO  
SS. TRY-  
PHONIS ET  
RESPICTI

E

*cruciatus.*

*Capite  
plectun-  
tur.*

F

Sap. 3, 2.

Apoc.  
14, 4.

14. —<sup>1</sup> quemadmodum R 1. —<sup>2</sup> om. R 2. —<sup>3</sup> nobis ipsi R 1. —<sup>4</sup> ipsis R 2. —<sup>5</sup> om. R 2. —<sup>6</sup> Tyberius R 2. —<sup>7</sup> brachium R 2. —<sup>8</sup> corr. R 1, prius aud. auris. —<sup>9</sup> clavis R 1. —<sup>10</sup> posterum R 1.

15. —<sup>1</sup> ei R 1. —<sup>2</sup> terram R 2. —<sup>3</sup> hominem

Novembris Tomus IV.

add. R 2. —<sup>4</sup> possit R 2. —<sup>5</sup> stultissime R 2.

16. —<sup>1</sup> tundite R 2. —<sup>2</sup> intolerabilibus R 2. —<sup>3</sup> dei R 2. —<sup>4</sup> deq' R 1. —<sup>5</sup> quam ut R 2.

17. —<sup>1</sup> om. R 1. —<sup>2</sup> (g. F.) phrygios g. R 2. —<sup>3</sup> prolata R 2. —<sup>4</sup> collata R 2. —<sup>5</sup> iugulanti R 1, 2. —<sup>6</sup> enim R 1. —<sup>7</sup> insip. oculis R 2.